Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 427
Quelle:
Copyright:

V. 58. *A nato formata suo* pro *a natoque ornata suo.* V. 72. *trabi meruit* pro *meruerit.* V. 75. *Ad clavim* quidem uterque, sed legere malim *ad clavum.* V. 85. *in gutture vocem* pro *nocens.* V. 90. *coelo terraeque* pro *coeli.* V. 103. *quia verba* pro *quo verba.* V. 104. *Quem liceat* pro *licet.* V. 110. *duodena refulgent* pro *refulgens*, et v. *seq.* ut puto *jaculantur* pro *jaculatur.* V. 115. *simul repetens* pro *repetentes.* Hactenus.

CLII. VII. E. 27.

345 Codex membraneus Theotisc. Sec. IX. exeuntis. Folior. 194. f. Forma pene quadrata. Luculente scriptus, rubricis distinctus et tribus Iconismis ornatus complectitur *Otfridi* Monachi *Wizanburgensis* seu *Weissenburgensis* O. S. B. in *Alsatia Rabani Mauri* discipuli, qui medio Sec. IX. claruit, *Volumen Metricum Evangeliorum in Libros V. distinctum* praevia Dedicatione pariter metrica ad *Ludovicum Orientalium Regnorum Regem* Ludovici Pii filium, dictum Germanicum, Praefatione prosaica ad *Liutbertum mogontiacensis urbis archiepiscopum*, et iterum Poemate ad *Salomonem episcopum*, I. hujus nominis Constantiensem, quibus ad Operis calcem accedit Carmen inscriptum: *Otfridus Uuizanburgensis Monachus Hartmuate* (Hartmutho) *et Uuerinberto Sancti Galli Monasterii Monachis.* Descripsit pretiosum hoc patriae Antiquitatis Κειμηλιον ea, qua solet, ubertate Cl. *Lambecius Comment.* L. II. p. 415 — 65. Descriptionem hanc Cl. *Kollarius* loco motam in T. I. *Analector. Vindob.* ad *col.* 643. repraesentavit, Opus ipsum Literaturae vetustae *Teutonicae* Statores *Joh. Schilterus* et *J. G. Scherzius* Codici nostro collatum omni cum eruditionis adparatu T. I. *Thesauri Antiquit. Teutonic. Ulmae* 1728. f. in lucem promsere. Doctissimorum Virorum curis non nisi paucula quaedam adjicere liceat. *Lambecius* omni occasioni *Math. Flacium Illyricum*, qui primus *Otfridum* ediderat, carpendi intentus p. 427. notat, in ejus editione pro *Francisca* (lingua) male legi *Franzisca.* Atqui ita legitur et in nostro *Cod.* in *Praef. ad Liutbert. fol.* 4. p. 2. *euangeliorum partem franzisce compositam.* Titulus Operis nobis *fol.* 9. p. 2. habet: *Liber — Domini Gratia Theotisce conscriptus.* Id *Lambecius* interpretatur p. 419. de *Divina benignitate et permissione.* Recte sane, si *Otfridus* non *Domini*, sed *Dei* scripsisset. Sic vero *Dominum* Regem *Ludovicum* subaudire malim, in cujus *gratiam* laborem ille suscepit, ut canit: *Themo dihton ih thiz buah.* Iconismus *Christi Hierosolymam* Dom. Palmar. intrantis, qui in edit. *suprac.* ad p. 241. exhibetur, e *Cod.* nostri *fol.* 112. expressus est; turbam tamen illam, quae Servatorem comitatur, recentior, rudiorque manus adpinxit. Ab eadem manu totus profectus est Iconismus alter Caenam ul-